


VIRTUTES
MERITAQUE
VIRI
NOBILISSIMI AMPLISSIMI
CONSULTISSIMIQUE
BARTHOLODI
HENRICI
BROKESII

I. V. L.
COMITIS PALATINI CAESAREI
REIPVBL. HAMBVRG.

NVPER
SENATORIS
ET
PROTOSCHOLARCHAE
GRATAE PRVDENTIQUE
POSTERITATI

EX
AVCTORITATE PVBLICA
AD
SPECTANDVM IMITANDVMQUE

PROPONIT
PAVLLVS SCHAFFSHAVSEN
LOGIC. METAPH. AC ELOQ. PROFESSOR
ET
GYMNASII H. A. RECTOR.



HAMBVRGI
TYPIS CONRADI KÖNIGII, AMPLISS. SENATVS, GYMNASII ET SCHOLAE TYPOGRAPHI.
MDCCL.



Quum nulla magis re homines, tot tantisque
 praerogatiuis brutis animantibus antecellentes,
 suam testari possint prae ceteris animantibus
 praestantiam, quam recto rationis vsu, virtu-
 tis amore, studioque bene de ciuibus patriaque merendi;
 tum imprimis eos ipsos, qui hisce ornati fuere virtutibus, dignos
 esse, quorum laudabilia facta posteris ad imitandum propo-
 nantur, nemo facile, qui iustum rebus statuere pretium valet,
 inficias ibit. Inest in ipsa virtute, vitaeque ad virtutem com-
 posita, aliquid, quod vel barbaros homines ad se trahit, atque
 suauis quadam ratione afficit et delectat. Quanto igitur magis
 gentes moratas tum grata ratione moueri oportet, quum ipsi
 suam virtuti decus suumque honorem tribui sentiunt. Neque
 profecto efficacius a vitiis retrahi, atque ad virtutis studium
 excitari possunt homines, quorum animis iusti honestique sen-
 sus a sapientissimo conditore inditus est, quam si aliorum vir-
 tutes iis ita ob oculos ponantur, vt easdem quasi in speculo
 contueri possint. Quam quidem ob causam factum est, vt
 moratiores gentes in seruanda virorum, insignibus virtutibus,
 praerogatiuis atque meritis conspicuorum memoria, eadem-
 que posteris prodenda, adeo diligentes prouidosque depre-
 hendamus. Ex hoc enim fonte fluxere *Luuii, Taciti, Suetoni,*
Dionis Cassii, Polybii, Plutarchi, commentarii, in quibus
 res in rebus publicis Romanorum atque Graecorum gestae
 nobis accurate, ingenue, eleganter enarrantur, quae non
 sine dulci virtutis atque ingenii Romanorum atque Graeco-
 rum sensu a nobis perlustrantur ac leguntur. Haec ipsa quo-
 que res id, quod iam vobis, ciues, exhibetur, pietatis monu-
 mentum

mentum produxit. Nostis, quem et quantum virum ante aliquod tempus in Viro Nobilissimo, Consultissimoque **BARTHOLDO HENRICO BROKESIO** ineluctabilis fati vis ordini senatorio patriaeque communi eripuerit. Ea is erat ingenii suauitate, iudicii acrimonia, morum dulcedine, et inprimis poeseos excelsa ac leniter fluente facundia praeditus, ut vel Principes viri in illo colendo atque ornando secum inuicem certauerint. Ut igitur Amplissimi Patriae Patres eam, qua pie defunctum complexi fuere, pietatem posteris testatam redderent; publicum Tanto Viro pietatis monumentum statui iusserunt. Cuius quidem officii partes quum mihi clementer a Sapientissimis Patribus demandatae sint; ego profecto laetitia quidem insigni, ast tamen haud ab omni tristitiae sensu vacua, ad eas exsequendas me accingo. Quod dum facere contendo, tam vberem dicendi materiam mihi suppeditari sentio, ut, si digne laudes atque merita Illustris **BROKESII** exponere vellem, immensae molis liber conscribendus mihi esset. Ne igitur iustam mensuram scriptio haec excedat, intra eos me continebo cancellos, qui mihi sunt praestituti, eaque tantum, quae cum huius libelli scopo consentiunt, cum lectoribus meis communicabo, ampliorem vitae incomparabilis **BROKESII** nostri enarrationem ei, qui integrum de vita **BROKESII** commentarium pollicitus est, relicturus.

Haud ignota est lis illa, quae inter complures Graeciae ciuitates de vindicando sibi excelsi ingenii vate *Homero* exorta est, qualibet earum, Homerum ciuem suum esse, affirmante; ex qua quidem lite addiscitur, quanta laudi sibi eius temporis ciuitates duxerint, sapientes produxisse viros, simulque perspicitur, iure meritoque gloriari posse Hamburgum, quod **BROKESIVM**, Homero certe sapientiae gloria parem, genuerit. Hac enim nobilissima in urbe die 22 Septembr. A. R. S. MDCLXXX. in lucem editus est. Patrem habuit **BERNHARDVM**, virum integerrimum, qui quidem mercaturam non sine laude fecit; matrem vero matronam honestissimam, **MARGARETHAM ELMHOFESAM**. Avum veneratus est **BARTHOLDVM**; abauum **IOANNEM BROKESIVM**, qui, relicta Lubeca, Hamburgum migravit, ibique rerum suarum domicilium posuit; cuius vero ambo fratres, **HENRICVS** atque **OTTO**, Lubecae commorati, in consularem dignitatem euecti fuere. Atauus eius, qui saeculo decimo sexto floruit, consulari potestate rempublicam Lubecensem rexit, classique, aduersus Suecos ornatae, cum imperio praefuit. De cuius, maiorumue suorum virtutibus adhuc testantur monumenta illa publica

4

publica in eorum honorem Lubecae in templo D. Mariae sacro
posita. Patre eo tempore priuatum se sensit, quo eius consiliis
atque cura quam maxime indigebat; vix dum enim deci-
mum quartum aetatis annum ingressus erat, quum Anno
M DC XCIV. pater eius mortem cum vita commutaret.
Sed quemadmodum excelsa magnaue ingenia ignea illa, qua
praedita sunt, vi ad virtutum litterarumque studia per se ferun-
tur, neque exhortatore fere opus habere videntur; ita quoque
hoc BROKESIO nostro accidisse nouimus. Is enim, quo
iam a pueritia in omnis generis artes atque scientias flagrabat
amore summo, easdem maxima arripiebat animi cupiditate.
Ad quam quum accederet sagax prudentis matris de filio rite
educando cura, factum est, vt primo ingenium eius priuato cui-
dam magistro formandum committeretur: a quo quum bene
iacta essent earum litterarum, quibus puerilis aetas imbui debet,
fundamenta, traditus est sollertissimis ingeniorum moderato-
ribus *Reimaro*, atque *Krüfkenio*, Ioannei Hamb. collegis.
Horum fideli institutione factum est, vt mox in primam recipi
posset scholae Ioanneae classem, vbi, quum linguas eruditiss
familiares strenue didicerat, dignus iudicatus est, qui Anno
M DC XCVII. ciuibus Gymnasii nostri adscriberetur, vt iam
iis scientiis vna cum litteris humanioribus operam daret, quibus
animus ad res rite pensitandas diiudicandasque aptus redditur.
Quas quidem litteras quum rite percepisset, occasioque ipsi
praebereetur, illum viuacis ingenii ardorem, secundum quem
et exteris inuisere regiones incitabatur, exsatiandi, iter Dres-
dam, ad aulam Principis Electoris Saxonici, socio viro haud
indocto, *Granardo*, inuit, vnde postea Pragam contendit,
Viennam petiturus. Quod vero consilium quominus exsequi
posset, impedimentis quibusdam factum est, quae a S. V.
GÖTTENIO *Europ. erud. P. I. p. 11.* enarrantur. Quare Ham-
burgum reuerti constituebat.

In patriam redux factus bonam temporis partem arti pin-
gendi atque musicae, ipsis litterarum studiis nequaquam ne-
glectis, impendit; quae quidem artes quanto gaudeant vsu
tum demum didicit, quum deinde ad poesin excolendam se
inprimis applicaret. Illud enim certum atque omnium pru-
dentum iudicio comprobatum est, artem pingendi, sonorum-
que studium sororio esse vinculo cum poesi coniuncta. Vnde
igitur factum, vt BROKESIVS laudatis illis artibus exorna-
tus, tum, quum Europae regiones praecipuas attentus lustraret,
de tot tantisque artis operibus vere iudicare valuerit, sicque
praestantissimorum in sua cuiuslibet arte virorum familiaritatem
sibi conciliauerit.

Quum iam iis artibus, quae litterarum studiis iunctae, decus iisdem atque splendorem conciliant, esset ornatus BROKESIVS noster; tempus esse perspiciebat, de grauioribus rebus cogitandi, Academiamque eligendi, in qua solidam iuris cognitionem acquirere sibi posset. Quae haud pridem a Serenissimo Brandenburgensium Principe Electore constituta erat Academia Halensis tot illustribus gaudebat doctoribus, ut omnino eam reliquis omnibus anteferreret BROKESIVS. Quare Anno MDCC eandem adiit, atque sub auspiciis Summorum Virorum, *Strykii, Thomasi, Ludovici,* atque *Ludewigii*, insignes in iuris scientia progressus fecit. Quemadmodum autem feruentium ingeniorum ea est indoles, ut, ubicunque aliquid noui, quod quidem attentione sua dignum putant, accidere comperiuntur, illud haud quaquam sine accurata inuestigatione praeterrmittant, sed aduolent, adspiciant, spectent, enotent, mirentur; ita quoque BROKESIVS, quo erat ingenii feruore, elabi haud patiebatur eam, quae tum aderat, occasionem, spectandi nuptiarum Celsissimae Principis regiae Borussicae natu maioris sollemnia. Biennium quum esset Halae commoratus, Wetzlarum est profectus: qua quidem in vrbe per dimidium anni spatium substitit, causarumque ibi agendarum rationes modumque ductu *Seipii*, oratoris ciuitatis publici, didicit. Wetzlarum Geneuam, nobilem illam politamque Heluetiae ciuitatem, proficisci constituerat. Sed vix Heidelbergam reliquerat, en nuntius de fatali apud Hüningam commisso praelio aduolat. Quo ille nuntio consilium suum mutare coactus, Norimbergam petiit. Vbi posteaquam per aliquod tempus haeserat, suasu Comitum de Oxenstirn, quo familiariter utebatur, consilium cepit, Venetias adeundi; quod quoque consilium est exsequutus, indeque Romam profectus, qua in vrbe religionis sollemnia, quae hebdomade sacra ibi celebrantur, spectauit. Roma Florentiam, indeque Portum Liburnum contendit; quo in itinere constitutus simul Sienam, Pistoiam, Luccam inuisit. Portu Liburno quum haereret, in periculosum incidit morbum: e quo postquam paullulum recreatus erat, medico hortante Geneuam, pulcherrimam illam opulentissimamque Italiae urbem, conscensa nauis, iter direxit. Quoniam vero id, quod antea iam ceperat, consilium, Coloniam Allobrogum inuisendi, denuo animum eius agigaret, relicta Genua, Saonam nauis uectus est, Augustam Taurinorum inde profecturus. Quod iter destinatum ob belli motus, regiones illas turbantes, licet immutare aliqua ex parte cogeretur, tamen saluus sospesque Geneuam accessit; quanquam hoc ipsum iter maxime molestum

pericu-

periculosumque expertus est, quum illud Alpium iugum, quod nemo mortalium per decem fere annorum spatium ascenderat, ei superandum fuisset. Geneuae per dimidii anni spatium commoratus Lausanam se contulit, ibique familiaritatem cum celebri illo nostri saeculi Philosopho ac Mathematico, qui quidem nonagenario maior ante aliquot annos e viuis excessit, *Crossazio* contraxit. Lausana relicta per Lugdunum Parisios tetendit, indeque in Hollandiam profectus est, eo quidem consilio, vt inde in Angliam, feracem illam praestantissimorum ingeniorum matrem, traiceret; atque tum demum, quum, longa prudentique instituta peregrinatione exercitatus, accuratam rerum cognitionem sibi comparasset, in aula quadam fortunae suae sedem inueniret. Ast vero aliud de se constituisse diuinum fatum comperit. Quum enim consilium illud, in Angliam traiciendi, animo volueret, afferuntur ei litterae, obitum sororis eius vnicae nuntiantes, simulque voluntatem aperientes matris, desiderio eum coram videndi, eiusque fruendi consuetudine flagrantis. Quare ille, abiecto priori consilio, Lugdunum Batavorum repetens, I. V. Licentiam petit, eandemque habita Anno M DCC IV. *Dissert. de Cambio* impetrauit.

Est profecto illud sapientiae diuinae, cuius diligens contemplatio summa prudentes voluptate afficit, specimen haud infimum, quod ii, qui litterarum studiis operam suam consecrarunt, omnes haud in vnum studiorum genus naturae quodam impetu ferantur, sed alter hoc, alter alio studiorum genere imprimis delectetur. Sic inter eos, qui iuris scientiae se dederunt, alios pugnaci illo atque contentioso, quod in foro obtinet, dicendi genere imprimis oblectari; alios vero dulcem illam atque mollem, quae in interpretandis ex antiquis Romanorum moribus ac consuetudinibus versatur legibus, iuris scientiam, litterasque quae humaniores merito vocantur, propterea quod humanos reddunt homines, eorundemque emolliunt mores, praecipue excolere experimur. **BR-OKESII** nostri ingenium, quum mite esset atque placidum, a strepitu forensi abhorrebat. Quare in foro haud versabatur, neque litigantibus praesidium praestabat; sed potius emendandis per poesin hominum, in vitia nimis pronorum, moribus, veteres sapientes sequutus, operam dabat. Est autem illud in Nostro imprimis mirandum, obseruatuque dignum, quod, quum antea ad poesin haud adeo propensus fuisset, postea, quum ex itineribus redux esset factus, singulari quodam naturae instinctu in poesin fundendaque carmina se ferri sentiret. Vnde certe illud discitur, latere in animis hominum semina

femina quaedam propensionum, quae tum demum erumpunt ac progerminant, quum ipse animus satis cultus est ac efformatus. Neque profecto sine successu egit BROKESIUS, quum naturam ducem sequeretur. Quod enim primum Anno MDCCXII. edidit dexteritatis poeticae specimen, e versibus aequalibus denuo repetendis, atque inaequalibus haud repetendis mixtum, et ad concentus musicos modulandum carmen, quod Oratorium vulgo dicunt, quo quidem earminel cruciatus illos, quos Seruator O. M. nostri causa perpeffus est, magnifica, splendida, atque ad mouendum animum accommodata ratione enarrauit, tanto omnium cum plausu exceptum est, vt a pluribus vno in numerum sonis aptum redactum, atque in coetibus publicis etiam eorum, qui Tridentini concilii placita approbant, plus simplici vice, pietatis alendae causa ad concentus musicos decantatum fuerit. Eandem experta est fortunam ea, quam sub idem fere tempus euulgauit, germanica carminis, italico fermone ab Equite *Marino* compositi, in quo quidem caedes infantum Bethlehemiticorum, ab Herode facta, eleganter depingitur, interpretatio.

Est illud commune fere deprauato hominum generi vitium, vt, quae quotidie sensus suos feriunt, negligenter percipiant, nec iis commoueantur; quum contra res nouae, atque insolitae eos e somno excitare, eorundemque animos ad se flectere valeant. Quae quum ita sint, laudandum profecto est eorum consilium, qui homines ad res, quotidie iis sese offerentes, attentos reddere, atque ad mirandum sapientiam, potentiam, benignitatem Optimi Numinis, etiam in iis rebus, atque imprimis in rebus creatis, sese prodentem, ducere conantur. Et quo modo melius aptiusque illud effici potest, quam diuina illa, quae poesis dicitur, arte? Haec enim quum per se iam animos hominum oblectare, voluptate perfundere, mouere, ac suaui quadam vi trahere et ad se rapere valeat; tum imprimis profecto diuinam suam exferit vim, quum, ab abusibus, quibus vana hominum ingenia eam deprauarunt, purgata, fini suo conuenienter ad celebranda summa Summi Numinis opera rite accommodatur. BROKESIO nostro haec omnino tribuenda est laus, quod primus insignem eam, qua diuino afflatu ornatus erat, carminum pangendorum dexteritatem ad manifestandam hominibus sapientissimi Numinis gloriam, e tota mundi compage quam apertissime elucentem, contulerit. Quamprimum enim animum ad componenda carmina applicaret, statim benignissimi Conditoris sapientiam, potentiam, in genus humanum amorem,

fem, pulchritudinemque in rebus, a Deo conditis, conspicuam carminibus suis celebrare laboravit. Quem finem ut eo celebrius assequeretur, ea, quae seorsim composuerat, carmina collegit, iunctimque sub indice: oblectatio animi in Deo e contemplatione rerum in mundo obuiarum orta, *irdisches Vergnügen in Gott*, euulgavit; neque unquam desistit, quominus hunc laborem continuaret. Quin immo eam e laudabili illo studio obtinuit felicitatem, (ita enim eam vere praedicabat) ut alios quoque suo exemplo ad extollendas carminibus suis optimi Numinis laudes excitaret: id quod *Trilleri*, *Zelli*que exempla testantur. Quanto autem eruditorum plausu BROKESII, opera diuina carminibus celebrandi studium, sit exceptum, ex laudibus illis, quibus iure meritoque id in diariis eruditorum ornatum fuit, intelligi potest. Mihi unicum huic opellae inserere liceat huius rei documentum, quod quidem eo maiori NOSTRO gloriae cedit, quum ab eo profectum est viro, quem ab omni partium studio alienum fuisse omnes intelligent. Est autem is THEOPH. SIEGERID. BAYERVS, qui in litteris ad pie defunctum *I. C. Wolfium*, Petropoli die vicesimo primo Sept. A. MDCCXXIX. datis, ita de BROKESIO: *Communicabis commentarios academiae nostrae primos cum Amplissimo BROKESIO, quem meo nomine salutabis, si me amas. Est enim incredibilis amor illius summi viri in animo meo incensus et quasi inflammatus ab admiratione tanti ingenii tantaeque artis. Illud ego diuinum os quam vellem aliquando intueri! quod unum datum est, libellos eius in sinu et oculis meis habitare sine, illis me reficio, ubi me aliorum satietas capit, illos quum euoluo, excitari me quasi diuino quodam et caelesti furore sentio. Virum fortem et magnanimum! qui ausus est nobilissimam artem ex seruitute illa sordida asserere in libertatem, iocisque illis proteruis et veneribus extortam Deo consecrare. O nobile et excelsum ingenium! quo philosophiam induit in numeros, docuitque Deo placere. Et in aliis ad *b. Wolfium* die tertio Aug. MDCCXXXI. exaratis litteris ita de BROKESIO scribit BAYERVS: Nullamibi cum BROKESIO vestro intercedit coniunctio, quam ille quidem sentiat, maxima quam non sentit. Nam illius a diuinis carminibus totus pendeo. Quam saepe animus meus summa et sanctissima laetitia perfunditur, quum canentem audio, veluti praesenti gratias ago, veluti cum assidente colloquor. Fac sentiat gratum animum, quod carmina eius me non modo delectant, sed, quod est summum, ad pietatem Numinis atque honorem inflammant.*

BROKESIVS quum flagraret desiderio; veram in Deum pietatem ac virtutis amorem hominum animis instillandi, tum inprimis hoc suum studium in emendandis civium moribus desiderari haud passus est. Ei enim haec debetur gloria, quod prima posuerit eius societatis fundamenta, quae, assumpto sibi *Patriotarum* nomine, huic sibi praefixerat finem, ut civium mores corrigeret, illosque ad veram virtutem amplectendam excitaret. Quam quidem societatem praestantissimi primique huius civitatis viri, quorum nomina Tomo tertio inscriptionis, quavis hebdomade ab illa societate euulgatae, atque deinde iunctim editae, et A. MDCCXLVII. tertia vice reculae, praefixa leguntur, coierunt. Qui liber, ab ornatissimis illis viris compositus ac euulgatus, quum et argumentorum gravitate ac varietate, et terfo, quo exaratus est, dicendi genere omnibus, subacta iudicandi facultate praeditis, iam diu sese commendauerit, nostra haud indigere laude videtur.

Quemadmodum autem illa, quae in multorum usum se diffundere gestit, virtus, etiam amplio rem multorum commoda promouendi campum nancisci solet; ita quoque **BR. OKESII** virtutibus, iam tot speciminibus comprobatis, illud accidisse laeti sumus experti. Quum enim VIII. Id. Aug. MDCCXX. Illustri **WIESIO** (cuius immortalia in rempublicam nostram merita nulla vnquam obliuio obliterabit) fasces consulares, forte annuente, essent demandatae; **BR. OKESIVS** noster **WIESII**, antea Senatoris, loco Senator per sortem legitimam, plaudentibus omnibus, qui reipubl. patriae bene cupiunt, est creatus. Quae quidem fortunae accessio eo inopinatio. Ipsi accidit, quo minus eandem spe vnquam praeceperat: quandoquidem Ipsi constitutum erat, in suburbano suo, quod iam extrui curabat, tranquillam atque a negotiis publicis vacuam vitam viuere. Sed quum aliud de se statuisse diuinum Numen iam comperiret, eius voluntatem omnino sequendam esse pie duxit. Quamobrem totum se reipubl. patriae tradidit, eiusque salutem curis consiliisque suis promouere omnibus annis est viribus. Et profecto statim experta est respublica, quantae fidei, dexteritatis ac prudentiae virum in **BR. OKESIO** consequuta esset. Quum enim A. MDCCXXI. legati ad S. Caesaream Maiestatem, **CAROLVM VI.** glor. memor. mittendi essent, qui causam civitatis apud Augustissimum Imperatorem agerent; dignus iudicatus est **BR. OKESIVS** noster, qui cum Magnifico Consule **SILLEMIO** (cuius virtutes atque merita civium animis firmiter infixae semper haerebunt) hoc ipsum munus grauis-

grauissimum obiret. Qua quidem occasione Imperatori Maxi-
 mo elegantissimum, a se compositum, carmen supplex tradi-
 dit, non sine summae gratiae significatione acceptum. Anno
 MDCCXXIV. binis vicibus Glückstadium ad Potentissimum
 Danorum Regem ablegatus est, eodemque anno, Specta-
 tissimo tum Reipubl. nostrae Syndico, IOAN. IVL. SVR-
 LANDO, (cuius immortalia in publicam salutem merita
 omnes, qui patriae bene cupiunt, et virtuti suum tribuere
 decus norunt, ab obliuionis iniuria certatim semper vindica-
 bunt, de morte Eius nunquam, nisi communi grauissimoque
 mœrore cogitaturi) Reipubl. nomine ad Potentissimum Bo-
 rufforum Regem misso, comes sociusque negotiorum obeundo-
 rum datus est. Quam legationem quanta administrauerint fide
 et prudentia, apparet ex litteris Celeb. MATVR. VEYSSIER.
 LA CRÔZE die vicesimo sexto Decembr. A. MDCCXXIV.
 ad desideratissimum IOAN. CHRISTOPH. WOLFIVM datis.
 Quas quum pro humanitate sua mecum communicauerit
 pie defuncti WOLFII frater, IO. CHRISTIANVS, collega
 mihi coniunctissimus, easdem, quum epistolis Lacrozianis,
 VHLII studio in publicum emissis, haud insertae sint, huic
 descriptioni immiscendas esse duxi. *Gratias tibi quam maximas
 ago et habeo, quod mihi nobilium et elegantium Virorum,
 SVRLANDI et BROKESII amicitiam conciliaueris. Eo-
 rum sane consortio valde delectatus sum, et usus sum, quan-
 tum potui. Si qua tamen officiorum ratione ipsis defui, id
 scio, qua sunt humanitate, ii mihi condonabunt, neque tu
 mihi vitio vertes.* • CERTE APVD NOS HONORI FVERVNT REI-
 PVBLICAE VESTRAE, IPSIQVE SERENISSIMAE REGINAE, APVD
 QVAM, ME COMITANTE, BIS FVERVNT, SESE IN PRIMIS APPROBA-
 VERVNT. • Cui de Reipubl. nostra quam praeclarissime merito
 Viro denuo comes sociusque adiunctus est, quum Anno
 MDCCXXVI. oratores publici Reipubl. nomine Hanoueram
 mittendi essent. Quanta autem cura, fide, prudentia concre-
 ditas sibi ad Aulas Principum legationes gesserit BROKE-
 SIVS, vel ex illis gratiae signis colligi potest, quibus dignati
 Eum sunt Viri Principes. Quum enim virtutum, quibus
 BROKESIVS eminebat, fama ad Aulam Serenissimi Bruno-
 uicensium Principis, AVGVSTI WILHELMI, peruenisset;
 Princeps ille Clementissimus iis adeo commouebatur, vt plu-
 ribus iisdemque repetitis vicibus maxima Illius, qua BRO-
 KESIVM haud indignum iudicabat, gratiae praeberet docu-
 menta. Quum Anno MDCCXLIV. Reuerendissimus Sere-
 nissimusque Princeps Elector Coloniensis Hamburgum inui-
 feret, Spectatissimo Reip. nostrae Syndico KLEFFEKERO,
 cuius

cuius insignia in patriam merita aetas nostra veneratur, nec posteritas tacebit, BROKESIVS adiunctus est, ut civitatis nomine Serenissimo Principi venerationem, laetitiamque ob gratiosissimum ad nos accessum deuoti interpretarentur. Hac ipsa occasione carmen ad concentus musicos decantandum, italico sermone exaratum, *L'Alstria festante* inscriptum, composuit: quo adeo delectatus fuit Reuerendissimus Princeps, ut non solum praesens Ei maxima gratiae suae signa daret, sed absens deinde litteris, ipsa Principis manu gratiosissime exaratis, de haud infirmata gratia sua certiolem Eum redderet. Nec silentio praeterire possum ea gratiae signa, quibus Eum dignati sunt, quum Potentissima Borussia Regina Vidua, tum praeter AVGVSTVM WILHELMVM, Brunouicensem Ducem, cuius ducalis erga BROKESIVM fauor iam expositus a me est, LVDOVICVS RVDOLPHVS, Brunouicenf. itid. Dux, GVNTHERVS, Princeps Schwartzburgicus, LVDOVICVS IOAN. WILHELMVS GRVNO, Landgrauis Hasso-Homburgensis, atque HEDWIG SOPHIA, Princeps Anhaltino-Schaumburgensis. Quae quidem Personae Serenissimae repetitis vicibus BROKESIVM litteris, tum soluto tum ligato sermone compositis, quod posterius ab Hassiae Langraui, et Principe Anhaltino-Schaumburgensi factum est, gratiosissime compellarunt. Schwartzburgensium autem Princeps, certissimus ingeniorum arbiter, singularibus BROKESII dotibus meritisque commotus, Eum, transmissio gratiose diplomate, Comitum Palatini Caesarei dignitate Anno MDCCXLVI. clementer ornauit.

Ast vero non Principibus tantum Viris Reipubl. Hamburgensis salutem commendare laborabat, illorumque sibi gratiam sua dexteritate ingenique suauitate conciliabat; sed in ipsa quoque Republica ciuibus prodesse, eorundemque commoda promouere, viriliter studebat BROKESIVS. Quod quidem tanta fecit felicitate, ut ea, quae ipsi innata esse videbatur, populari humanitate omnium omnino ciuium amorem laudemque iure meritoque consequeretur. Annis enim MDCCXXIX. et XXIX. Praetura urbanam summa dexteritate summoque omnium plausu gesit. Hanc sequuta est Anno MDCCXXX. Praetura agrorum pinguium, in ditione Hamburgensi sitorum, quibus Biss et Ochsenwerder nomen est. Subiectus praeterea ditioni Reipubl. Hamburg. est ille terrae tractus, qui quatuordecim ab Hamburgo milliaria distat, ad oram Albis situs, quem Ritzebüttelam dicunt. Haec regio per sex integros annos a Membro Amplissimi Senatorii Ordinis, Praefecti auctoritate exornato, Reipubl. nomine regitur

BRO-

BROKESIVS noster, patriae tantum salutis studiosus, hanc grauiſſimam ſpartam Anno MDCCXXXV. ſuſcepit, eandemque, per ſex illos continuos, quibus praefectura illi eſſet gerenda, annos ita ornauit, vt difficile ſit iudicatu, vtrum ille maiora huic terrae eiusque incolis commoda emolumentaue dederit, an ab illis, tanto eius amore flagrantibus, vt non ſine vberima lacrimarum effuſione ab iis dimitteretur, acceperit. Sicuti autem haec excelforum eſt ingeniorum indoles, vt ſemper eiusmodi ſuſcipiant negotia, quibus gratam ſui memoriam apud poſteros ſeruare poſſint; ita quoque mirandum ſane haud eſt, BROKESIVM cui totius praefecturae cura demandata erat, in ea adminiſtranda ita ſe geſſiſſe, vt nec remotiſſimorum temporum vetuſtas beneficiorum, huic terrae collatorum, memoriam ſit obliſſerata. Sunt ex innumeris illis, quibus incolae beaui, beneficiis duo inprimis, quae ſilentio praeterire haud poſſum: quorum alterum ad religionem, alterum ad ornatum regionis ſpectat. Quum enim Vir ille religioſiſſimus probe noſſet, hominum induſtriam, niſi Deo annuente eandemque fortunante, nihil omnino eſſe profuturam; ſimulque animaduertet, quam negligentes eſſent homines circa beneficia Diuina rite colenda, vt hanc incolis excuteret negligentiam, eodemque ad agnitionem venerationemque diuinorum beneficiorum perduceret; iuſſit, vt quouis anno, meſſe conſummata, ſollempnes Optimo Numini gratiae publice peragerentur. Praeter hoc pium maximeque laudandum inſtitutum et illud obſeruandum eſt, quo curauit, vt nemore ornaretur ager Ritzebuttelensis, omnium vſui expoſito, quod quidem ob amoenitatem, qua gaudet, ab indigenis peregrinisque frequenter viſitatur, et ab auctore ſuo nomen duxit, nemus BROKESII dictum.

Circumactis ſex illis, in quos praefectura Ipi delata erat, annis, Anno MDCCXLI. Hamburgum, non quidem abſque laetitia amicorum, aſt vero cum inſigni moerore Ritzebuttelensium ad nos rediit BROKESIVS, eo ipſo anno Praefectus ciuium armatorum conſtitutus. Quo quoque anno praetura agri ſuburbani, qui mons Hamburgensis dicitur, functus eſt, quam deinde A. MDCCXLII. ſequuta eſt praetura agri Hammonensis atque Hornensis; cui eodem anno acceſſit locus in Senatu rei naualis. Anno autem MDCCXLIII. Muſis noſtris praefidio datus eſt, auctoriſſe Scholarchae primi ornatus. Quemadmodum autem omnia, quae ipſi commiſſa erant, munera ſumma diligentia, fidelitate, prudentiaque geſſit; ita profecto de eo, munere ac auctoriſſe Scholarchae primi ornato, vere praedicare poſſumus, Muſas noſtras in eo benigniſſimum parentem certiſſimumque perſugium eſſe veneratas.

Talem se praebeuit **BR OKESIVS** in publicis illis, quae summa cum laude gesfit, muneribus, nec minoribus eum virtutibus conspicuum priuatis in rebus deprehendemus. Mortua Anno **MDCCIX.** matre eius piissima iam quidem de ineundo matrimonio cogitare coeperat, quod vero propositum vsque ad **A. MDCCXIII.** variis de causis differebatur. Eo autem anno inuenit suauissimam tori sociam, **ANNAM ILSABE LEHMANNIAM,** **IOANNIS LEHMANNI,** cuius honestissimi, filiam, quam sollempni sibi matrimonio iunxit: quod quidem nunquam, nisi quum vxor eius Anno **MDCCXXXVI.** Ritzebuttelae morte ab eo diuelleretur, acerbum est expertus. Foecundissimum autem hoc ipsum fuit matrimonium, quum duodecim liberorum patrem eum fecit vxor; e quibus adhuc septem superstites sunt. **BARTHOLDVS HENRICVS,** nominis virtutumque paternarum haeres felicissimus, natus **MDCCXV.** a Reuerendissimo Electore atque Archiepiscopo Coloniensi designatus Consiliarius in rebus ad regimen atque tabularium episcopatus Osnabrugensis spectantibus. **ERICVS NICOLAVS,** natus **MDCCXVIII.** Imperatoriae Celsitudinis, Magni Principis Russorum & Ducis Holsatiae a Consiliis Iustitiae, atque in sanctiore consilio, quod Kilonii est, a Secretis. **MARIA ANNA,** nata **MDCCXIX.** Viro Consultissimo, **IACOBO NICOLAO MARTENS,** **I. U. L. A. MDCCXLV.** in matrimonium collocata, e quo duae filiae sunt susceptae. **IOACHIMVS WILHELMVS,** natus **MDCCXXIII.** cui ob insignem rei naualis peritiam naus praefidiaria Hamburgensis, tempore belli naues mercatorias ab insultibus hostium defendens, regenda erat tradita; qui iam autem nauis bellicae apud Potentissimos Hollandiae Ordines praefectus. **IVLIVS HERMANNVS,** natus **MDCCXXIV.** mercaturae operam dans. **GARLIEBVS IOACHIMVS,** natus **MDCCXXVIII.** qui in Potentissimi Borussiae Regis exercitu stipendia facit. **MARIA HELENA,** nata **MDCCXXXI.** Viroque honestissimo, **CHRISTIANO TIMPE,** mercatori spectatissimo, **MDCCXLVIII.** nupta. Ex iis, qui ante patrem diem suum obierunt liberis, filia nati secunda **ANNA ILSABE** felici matrimonio iuncta fuit **A. MDCCXXXV.** Viro Ornatissimo, **MARTINO BERNHARDO PRINTZ,** qui negotia magna cum dexteritate apud nos exercet, quod verum matrimonium maturo vxoris obitu, qui **A. MDCCXLIII.** accidit, dissolutum fuit, quum vno filio superstite pater auusque exhilarati essent.

Erat **BR OKESIVS** firma robustaque corporis constitutione praeditus, quae, quam tanto Viro optabamus, longissimam

M

giffimum ei ætatem promittere videbatur, eandemque sperare iubebat. Ast vero, quam vanae fragilesque spes sint mortalium, huius denuo viri exemplo edocti sumus. Invenerat Nostrum die 13^{tio} Ian. A. MDCCXLVII. pectoris quaedam valetudo, quae autem ob corpus eius bene alias constitutum nihil mali sub initium minari nobis videbatur. Aliud autem, proh dolor! euentus docuit. Decimus sextus Ianuarii dies fatalis ille simul dies erat, quo vis morbi adeo inualuerat, ut vanairritaque essent, quae ad corpus releuandum adhibebantur media, BROKESIVMque, posteaquam annos sexaginta sex, cum quatuor mensibus, demtis sex diebus vivendo expleuerat, patriae, suis, bonisque omnibus placida morte subductum tristes audiremus. Sunt qui hominum animos diuinandi quadam, atque futura praesentiendi vi praeditos esse statuunt. Ipse BROKESIVS paucis ante obitum hebdomadibus a Serenissima Principe Anhaltino Schaumburgensi rogatus erat, ut, quid de hac sapientum sententia iudicandum sit, eidem exponeret. Ego quidem, re curatius pensitata, omnem praesentiendi vim animis nostris denegandam esse haud quaquam affirmaverim: quam certe sententiam ut tuear, BROKESII iterum exemplo adducor. Seruabat Vir pius morem illum, ab omnibus certe imitandum, ut anno exacto, beneficia, quam ipsi patriaeque tribuerat Summum Numen, gratus carmine singulari, in quo simul argumentum quoddam peculiare is persequeretur, recoleret ac profiteretur. In eo, quod sub finem Anni MDCCXLVI. composuerat, carmine, artem quiete placideque moriendi edisseruerat, SARASAM imitatus, qui artem semper gaudendi euulgauit. Ipse quidem vir beatus, hoc vltimum fore, quod conferberet, carmen, haud putauit: re ipsa autem vltimum fuisse, BROKESIVMque morti suae praelusisse, moesti fuimus experti. Ipsum hoc carmen statim post viri beati ex hac vita discessum, tanquam cygnea eius cantio, publicumque fortis, quo praeditus fuit, atque christiano homine digni animi testimonium euulgatum est.

Exposui vobis, Ciues! vitam, virtutes, meritaque BROKESII, iam caelitibus adscripti. Is, quum inter viuos adhuc versaretur, erat BROKESIVS, qui vestrum amorem suavi illa, qua praeditus erat, humanitate comitateque, cum grauitate mixta, sibi facile conciliaret. Eo autem vos honesti, aequi bonique sensu praeditos esse noui, ut dulci quadam ratione ad hasce dotes mirandas sectandasque alliciamini. Quas quum BROKESIVM intuentibus vobis contueri licet, easdem imitari haud desistite. Quod ut eo feliciter

feliciter fieri possit, tanti viri virtutes breuiter sub finem huius
 scriptionis repetitas vobis vno quasi obtutu spectandas pro-
 ponam. Erat BROKESIVS ingenio excelsus, sublimi, dulci;
 iudicio acri et subtili; in Deum pius, erga ciues popularis,
 in liberos blandus, erga pauperes beneficus, in consuetudine
 quotidiana affabilis, et ab omni morositate remotus; in rebus
 gerendis cautus, prudens, expeditus; in magistratu grauis,
 ac comis, ius seuerissime dicens, nec tamen eam dimittens
 gratiam, qua conseruatur aequalitas; in parandis amicis pro-
 uidus, in retinendis autem, qui suam ipsi fidem probauerant,
 pertinax; veri amicus, simulationis assentationisque pertaesus;
 in seruandis promissis fidus; prudens temporis dispensator;
 patriae amans, verusque Patriota; rerum sapiens arbiter; in-
 signi litterarum optimarum notitia imbutus, neque tamen
 animo elatus, sed humanus ac modestus; Poeta suauis, do-
 ctus, sanctus; Musarum patronus, bonorum praesidium, ma-
 lorum terror, afflictorum perfugium.

Habetis ciues BROKESII effigiem, imbecilli licet pe-
 nicillo, ita tamen, vt spero, delineatam, vt vobis ea, quae, erepto
 nobis BROKESIO, cum eo erepta simul sint bona, facile
 in memoriam reuocare possit. Et haberemus certe omnes iu-
 stissimam luctum communem continuandi causam, nisi is
 BROKESIO diuinitus datus esset successor, qui BROKE-
 SII similis illum nobis referre iure videtur. Est is Vir Consul-
 tissimus Amplissimusque IOANNES DIETERICVS LO-
 CHAVIVS, I. V. D. in quo cum BROKESII virtutibus
 paternas auitasque simul virtutes amico iunctas vinculo hilares
 laetique sentimus. Quem virum vt patriae communi, genti
 suae, optimatibusque quam diutissime, omni felicitatis genere
 cumulatissimum, superstitem seruare; Amplissimumque Patriae
 Patrum ordinem, vna cum patria carissima ab omni clade atque
 infortunii genere sartum tectumque praestare velit Summum
 quod in caelis est Numen, quam enixissime vouemus,
 precamur, flagitamus.

† † †

Scripta, quibus nominis sibi comparauit celebritatem b. BROKESIVS,
 haec sunt:

1. Dissertat. de Cambio. Lugd. Bat. 1704.
2. Verdeutschter Berthlehemitischer Kinder-Mord des Ritters Marino.
3. Irdisches Vergnügen in Gott. Huius libri tomi octo Brokesio inter viuos adhuc ver-
 tante prodire, nonus autem post obitum eius ex reliquiis carminum collectus in lucem
 emissus est.
4. Auszug aus den ersten fünf Theilen des Irdischen Vergnügens in Gott.
5. Harmonische Himmels-Lust im Irdischen.
6. Versuch vom Menschen, oder Uebersetzung von Pope's Essay on Man.
7. Aus dem englischen übersezte Jahres-Zeiten, oder Uebersetzung von Tomson's Seasons.